



DISSERTATIO IVRIDICA  
S I S T E N S  
CAVSSAS, QVIBVS HOMINES PROPRII CONTRA  
DOMINOS, VLTRO IN ELECTORATV SAXONIAE  
PERPETVVM DOMICILIVM CONSTITVENTES,  
TVM AGENDO, TVM EXCIPIENDO, AD  
LIBERTATEM PROVOCARE, 1773 15  
PROHIBENTVR.

Q V A M  
Q V A E E S T  
SERENISSIMI PRINCIPIS GRATIA  
S I N E P R A E S I D E  
*PRO SVMMIS IN VTROQVE IVRE HONORIBVS*

RITE CAPESSENDIS

DIE X. OCTOBR. A. R. S. MDCCLXXXIII

H. L. Q. C.

PVBLICE DEFENSVRVS EST

A V C T O R

CHRISTIANVS ERDMANNVS ZANGEN

CAVSSARVM PATRONVS ET NOTARIVS PVBLICVS CAESAREVS  
IMMATICVLATVS.

---

V I T E B E R G A E

LITTERIS CAROLI CHRISTIANI DÜRRII.

DISSELTATIO IURIDICA

212 1/2

CAUSAS QUIBUS HOMINES PROPRII CONTRA  
DOMINOS ALIUM INFLICITUR SAZONAR  
PERTINENT DOMINIUM CONSTITUTUM  
TEM AGENDO TALEM EXCIPENDUM AD  
LIBERTATEM PROVOCARE  
PROHIBENTUR

OVAE EST

SERENISSIMI PRINCIPIS GRATIA

SENIORIS

PROSTANTIS IN VITIO FIDELI HONORIBUS

THE CAUSAS

DIE 2 OCTOBRIS A. N. 1700

IN A. N. 1700

IN A. N. 1700

ACTO


CHRISTIANUS ERDMANNUS

CAUSAM AGENDO ET VITIO FIDELI HONORIBUS

INFLICITUR

LIBERTATEM PROVOCARE





*Instituti ratio.*



um mihi ante aliquod tempus in animo esset, libellum quendam publicae disceptationis causa in medium proponere, eam causam elaborare semper studui, quae quodammodo cum meo munere, quod in primis in cauendo tuendisque iuribus aliorum consistit, coniuncta esset. Cui consilio meo me non satisfecisse, mihi metuendum est, ne quis forte me reprehendat, in primis, cum proposita res, in qua explicanda nunc verfor, a munere patroni causarum fere aliena esse videatur. Sed cum mihi a quodam fide dignissimo viro relatum fuerit, haut ante longum temporis spatium in quadam Saxoniae regione accidisse, ut homines proprii a domino suo, qui quidem antea exterae cuiusdam nationis subditus fuerit, ac postea perpetuum domicilium in Saxoniae quadam parte constituendo, Saxonice legibus se submiserit, libertatem suam, actione rite instituta, vindicare conati fuerint, animus meus ad



credendum adducebatur, istius rei tractationem, tum iuriscientiae, quam ipse profiteor, consentaneam, tum etiam mea opera haut indignam fore. Antequam vero ad rem ipsam accedo, mihi adhuc referendum esse puto, huncce libellum, quem in lucem prodere mihi licet, primum publicum specimen esse scientiae, quae, quam exigua sit, probe sentio. Vt itaque in diiudicando meo libello quilibet lector mihi lenis et indulgens iudex adsit, vix monendum mihi fore credo.

Accingamus nos itaque ad prolatam causam dissecandam. Qua re noster animus praecipue ad statum et conditionem hominum propriorum dirigitur. Quemlibet vero statum hominum quandam relationem vnus vel plurium ad alium, ex qua mutua iura et obligationes hominum in se inuicem deriuantur, indicare, nemo forte dubitabit. Huncce statum diuidi in Naturalem et Ciuilem, Iurisperiti recte statuunt, propterea, quod tum omnibus hominibus, qui, si Celeberrimi Kantii verbis uti licet, a) sua natura recte uti, et sic se gerendo prope se coexistere debent, b) huius ratione habita, quaedam iura neces-

faria

a) Vide eiusd. *Metaphysik der Sitten* p. 64 sequ. Neque poenitebit legere Schmalzium his verbis tradentem: Wenn ein Gesetz beföhle, daß freye Wesen von außen her bestimmt werden sollten: so würde dies, da es die vernünftige Natur aufhebe, nothwendig etwas äußerst böses befehlen. Ein Gesetz aber, nach welchem freye Wesen zu Mitteln für Zwecke, welche nicht sie, sondern andre gewählt hätten, gebraucht werden sollten, würde befehlen, daß sie sollten von außen bestimmt werden. Daher ist das allgemeine Gebot der moralischen Natur: Behandle die Menschheit weder in dir, noch in andern, als bloßes Mittel, sondern immer als Zweck. Vid. eiusd. *Reines Natur-Recht* §. 13.

b) Non est itaque, quod miremur, Celeberrimum Hufelandium §. 62. et 63. Lehrsätze des Naturrechts censere, omnibus iuribus naturalibus, duo signa nimirum, Gesetzmäßigkeit und Allgemeinheit inhaerere debere. Cuius illu-

strandi

faria et tanquam connata, quae nullo modo alienari possunt, competere debent, c) nec non homines, certos fines sibi proponentes, ac diuersas societates incuentes, nonnulla iura in alios transtulisse videntur, d) tum etiam ab ipsis singularum ciuitatum legibus quibusdam hominibus, non intercedente facto obli-

A 3

frandi causa idem §. 64. eximie scribens, ita pergit: Demnach ist allge-  
mein geltende Gesetzmäßigkeit das Kennzeichen oder die Form aller Sitt-  
lichkeit, und der oberste Grundsatz derselben muß heißen:

„Die Vorschriften, nach denen du handelst, müssen so beschaffen  
„seyn, daß sie allgemeine Gesetze seyn können, oder doch, daß du  
„wollen kannst, daß sie allgemeine Gesetze würden.“

Neque minus Imperator Iustinianus §. 5. Instit. de I. N. G. et C. Ius gentium  
iam iam definiit, ita dicens: *Ius gentium omni humano generi commune  
est. Nam usu exigente et humanis necessitatibus gentes humanae iura  
quaedam sibi constituerunt.*

c) Vide Schmalzii l. 1. §. 47. Hic celeberrimus doctor Iuris naturae apte  
diuidit iura originaria **Urrechte der Menschen**, in tria genera, nimirum  
primo, **Rechte der Menschen auf sich selbst**, deinde, **Rechte auf ihre  
Handlungen**, denique, **Rechte auf den Gebrauch der Sachen**. Quae  
latius explicita inuenies a §. 39. vsque ad 42. Eodem quoque modo di-  
uiduntur ab Excellentissimo Schumannio, ex cuius sententia ista connata  
hominum iura dissepuntur in ea, quae aut ad hominem ipsam, aut ad  
alios homines, aut denique ad totam naturam et omnes res ab ista geni-  
tas easque rationis expertes respiciunt. Quae omnia copiose et eximie  
illustrata sunt ab eodem. Vid. p. 149. vsque ad p. 183. **Wissenschaftliches  
Naturrecht**, ed. Halle, 1792.

d) Quorum iurium et obligationum omnium, quatenus ex communi societa-  
tum omnium sine oriuntur, complexus, nostro sermone das **Gesellschafts-  
recht** a doctoribus iuris Naturae recte dicitur. Conf. Schmalz. l. 1. a §. 121.  
vsque ad finem libelli. Accuratius vero ab Hufelandio nomine **Allgemei-  
nes Gesellschaftsrecht** insignitur (conf. eiusd. l. 1.) quod eidem placuit,  
hoc vniuersale ius societatis, pro diuerso respectu ad diuersi generis socie-  
tates,



obligatorio, quaedam iura tribuuntur: <sup>g)</sup> Quae omnia iura hominibus inhaerere videntur, ita, vt a Celeberrimo Glückio <sup>f)</sup> aliisque iuris peritissimis viris non inepte pro accessorio hominis censeantur. Qua ratione commorus idem laudatus Glückius, de collisione Germanicarum prouincialium legum scribens, <sup>g)</sup> contendit: *Cuiuslibet personae statum, indeque oriunda iura a particularibus legibus istius prouinciae, quam persona incolit, ita pendere, vt istae leges in hanc personam, quamuis in extera terra ad tempus commorantem, applicari debeant.* Quocum etiam Hertius <sup>h)</sup> consentit, his verbis statuens: *Quando lex in personam dirigitur, respiciendum est ad leges illius ciuitatis, quae personam habet subiectam.* Ambo itaque celeberrimi Iurisconsulti in diiudicando statu personarum accurate discernunt inter ciues temporarios et perpetuos. Sed hoc discrimen hic non curamus, cum nobis subsu-  
mere liceat, personam domini, a quo homines proprii liberta-  
tem

tates, quae quidem a doctoribus iuris Naturae sub loco hypothetici iuris Naturalis plerumque explicantur, iterum diuidere in tres partes, nimirum eas, quae respiciunt aut ad societates simplices, aut compositas, quibus familiae et respublicae recte ab isto annumerantur aut mixtas, quo societatem religionis, Religionsgesellschaft, refert.

- e) Qua ratione permotus Iustinianus §. 4. Institut. de I. N. G. et C. his verbis scribit: *Ius quidem ciuile ex vnaquaque ciuitate appellatur, veluti Atheniensium. Nam si quis velit Solonis, vel Draconis leges, appellare ius ciuile Atheniensium, non errauerit. Sic enim et ius, quo Romanus populus utitur, ius ciuile Romanorum appellamus, vel ius Quiritum, quo Quirites utuntur.*
- f) Vid. Dr. Christian Friedrich Glücks Commentar der Pandekten nach Hefffeld, 1. B. 2. Tit. §. 74.
- g) Aspicias quaeſo eandem s̄phum.
- h) Vid. Joh. Nicol. Hertii Dissertationem de Collisione legum. Sect. IV. in Opusc. Vol. I. T. I. §. 2.





tem rite recuperare studebant, secundum principia Iuris Ciuilis Romani, Saxonice legibus subiectam esse. Neque nobis hic de eo disceptandum erit, num exteris hominibus propriis liceat, necne, in peregrinam prouinciam inuitis dominis migrare, eo sine, vt domini omni iure suo in homines proprios priuentur. E contrario nostrum erit, omni diligentia inquirere, num seruilis ille status, in quo homines proprii versantur, et iste nexus, qui inter hos et dominum intercedit, ideoque iamiam existit, in Electorali Saxonia conseruari ac tolerari possit. Nullum enim iurisperitorum fugiet, leges diuersarum prouinciarum tam varias esse, ita, vt, quod aliae permittunt, id aliae reprobent et prohibeant, aut saltim quidem certis modis restringant. Non commemorabo, a nonnullis ipsis Philosophis libertatem hominum tanto honore insigniri, vt iis seruitus hominum turpis esse videatur, nec in vlla quidem ciuitate legibus tolerari possit. Hanc sententiam, quippe cuius verba quoque hominum insipidorum et intemperantissimorum aures permulcent, his temporibus non exigua pars eorum hominum, qui nimia cupiditate omnes imperfectas res ex ciuitatum sinibus exliminandi flagrantes homines ab omni nexu ciuili et legibus liberandos ac soluendos esse statuunt, quasi ambabus manibus amplectitur. Cui contrariae sententiae vt rite occurram, mihi quoque necessarium esse videtur, inuestigare, num Ius Naturae seruitutem hominum permittat, necne, in primis, cum iam leges Romanae <sup>1)</sup> accurate distinguant inter iura et obligationes mere naturales, mere ciuiles et mixtas, ita, vt mere ciuilitate obligato, exceptionem suppeditando, ex aequo succurrant. <sup>2)</sup>

Totus

<sup>1)</sup> Vid. I. 95. §. 4 ff. de solut. §. 1. Instit. de fideiuss. l. 1. ff. de nouat. l. 3. §. 1. ff. de pecun. const. §. 1. Instit. de except.

<sup>2)</sup> Hoc mihi liceat exemplo ex iurisprudencia Romana depromto illustrare, Iure ciuili et qui metu coactus promissit, obligatur. Sed Praetor ex aequi-

tate



Totus libellus itaque dispecitur in duas partes. Primo nostrum erit, conditionem hominum p. opriorum siue seruitutem Germanicam cum principiis Iuris Naturae conferre, et inquirere, num isti aduersetur, necne? Deinde videamus, quid ex legibus, quae in Saxonia Electorali vigent, de hac seruitute sentendum sit, num leges eam prohibeant, ac tolli iubeant, an permittant? Quem vt finem feliciter attingam, iustissimoque desiderio lectorum quodammodo satisfaciam, tum a Deo Optimo Maximo summis votis expeto, tum etiam omnibus viribus meis contendam.

§. I.

*Num conditio hominum propriorum Iuri Naturae  
contraria sit, necne?*

Omnes sapientes viri, tum veteris tum recentioris memoriae, inter se consensisse videntur, nihil suauius, nihil iucundius esse libertate, qua, proh dolor quidem, tanquam pretiosissimo dono hominibus a natura et a Deo dato, plerumque abuti solent; et neminem forte fugiet, quot quantosque labores libertatis tuendae causa singuli homines susceperint, et quam magna pericula subierint. Ac profecto nullus erit, qui illorum bellorum oblitus fuerit, quae pro vindicanda et redimenda libertate, a primis temporibus vsque ad nostram memoriam crudelissimis armis inter diuersos populos gesta sunt. Testes huius rei sunt cum scriptores re-

tate motus, dat exceptionem quod metus causa. Conf. l. 1. 3. et 5. ff. de in integr. restit. nec non l. 1. ff. quod metus caus. gest. erit.

rum gestarum sacri, <sup>l)</sup> tum profani. <sup>m)</sup> Sicuti enim Philosophis omnes corporeae res hominis causa adesse visae fuere, quae quidem a natura tot innumerabilibus iisque variis viribus atque dotibus ornatae essent, ita hominem, libera voluntate et intellectu gaudentem, nonnisi id velle, censuere, quod naturae suae optime conveniat, eamque cultiorem ac perfectiorem reddat. <sup>n)</sup> Quam rationem secutus, iamiam Imperator Iulianus

l) Huc in primis pertinent auctores librorum, qui sub nomine Esra, Nehemia, Samuelis, ac Regum in Codice Sacro inveniuntur, quippe qui in referendo occupantur, quam fere incredibili audacia ac quoties et Iudaei, et Gentiles subacti, se a servitute liberare conati fuerint.

m) Ex quorum fere innumera multitudine tamquam exempla mihi nominandi esse videntur, Livi, historiam populi Romani describens, nec non Iosephus, saepius iteratos conatus gentis Iudaeorum Romano imperio submissae, libertatem suam recuperandi, narrans, ac denique Iulius Caesar, de bello Gallico scribens, literisque mandans tristissimam sortem, quam haut raro Galli iisque coniuncti populi experti fuere, dum se imperio Romano subtrahere, armis conabantur.

n) Veteres Philosophi haec cogitasse et docuisse, id mihi coniciendum esse videtur ex notissimo theoremate Sexti Empirici Pyrrhi, *πρωτων χρηματων ενος μετρον τον ανθρωπον*. (vid. istius Hypot. L. I. c. 22. p. 53. ed. Fabric.) Nec est igitur mirum, quod tunc temporis multi extiterint, qui, quamvis ipsi de existentia Deorum dubitarent, aut saltem quidem, (id, quod in primis Epicuro placuisse videtur,) Deos immortales homines humanasque res non curare, statuerint, attamen fidem vitaeque integritatem ab hominibus sancte et inviolabiliter colendam esse, censuere. Ad quorum sententiam refellendam Cicero ita loquitur: *Atque haut scio, an, pietate aduersus Deos sublata, fides etiam et societas generis humani, et una excellentissima virtus, iustitia, tollatur*. Vid. ei. libr. de Natura Deorum, nec non conferas M. Kündervaters Anmerkungen und Abhandlungen philosophischen und philologischen Inhalts über Cicero's Bücher von der Natur der Götter 1. B. p. 47.



nianus libertatem naturalem facultatem eius, quod cuique facere libet, nisi si quid vi aut iure prohibeatur, esse definit, o) ideoque actiones non, nisi physice et moraliter possibiles, sub illa comprehensas esse, dicit. p) Nec est igitur, quod miremur, istam libertatem Romanorum Iureconsultis sanctam et inuiolabilem visam fuisse, ita, vt seruitutem, iure gentium ex humanitate et temperantia quidem constitutam, et seruos alieno dominio *contra naturam* q) subiectos fuisse, statuerint. *Serui enim ex eo appellati sunt, quod Imperatores captiuos vendere, ac per hoc seruare,*  
nec

o) §. 2. Instit. de Iure Personar.

p) Idem voluisse videtur Schmalzius, his, qui ratione ornati sunt, tribuens (vid. §. 3. sequ. Rein. Nat. R.) einen durch Vernunft bestimmten Willen, d. i. ein Vermögen, durch Vorstellung der Vernunftmäßigkeit oder Vernunftwidrigkeit einer Handlung sich zur Vollziehung oder Unterlassung derselben zu bestimmen. Vernunftmäßig ist nämlich seine Handlung alsdenn, wenn das Gesetz, welches sie bestimmt, in einem allgemeinen Gesetzhystem für vernünftige Wesen sich denken läßt, ohne weder sich, noch seinen Nebengesetzten zu widersprechen. Vernunftwidrig ist sie offenbar im entgegengesetzten Fall. Inde non miraberis, inelytum hunc virum accurate discernere inter istam voluntatem et Freyheit im höchsten Sinn des Worts. vid. §. 6. ibid. Conferas quoque D. Ioh. Leonhard Haufchildii Opusc. Historico-Iuridic. de praesumptione pro libertate naturali in causis rusticorum §. 1. Ibidem auctor cum Potgiellero libertatem naturalem definit, quod sit status hominis, quo libertas voluntatis non, nisi lege naturali, circumscriptur; siue quo homines actiones suas pro arbitrio suo eatenus determinare possunt, quatenus legibus naturae conueniunt.

q) Scilicet contra ius naturale, quod natura omnia animalia docuit. Nam, ita pergit D. Ioh. Iustinianus, *ius istud non humani generis proprium est, sed omnium animalium, quae in coelo, quae in terra, quae in mari nascuntur. Hinc descendit maris atque feminae coniunctio, quam nos matrimonium appellamus, hinc liberorum procreatio, hinc educatio.* Videmus  
esenim

*net occidere solent.* \*) His praemissis, apparet, seruitutem iuris Romanam, quippe quae praesertim antiquissimis temporibus tam late patuit, vt dominis, seruos suos impune occidere, non minus liceret, \*) quam rebus suis se abdicare, aliquot Philosophorum placitis tunc contrariam fuisse. At, cum nobis in animo sit, de seruitute Germanica differere, et, num ista iuri naturali repugnet, necne? inquirere, mittimus seruitutem Romanam, quae ab illa quodammodo diuersa ac durior fuisse videtur, vsque in Germania seculo XIII<sup>mo</sup> exoleuisse dicitur. \*) Quare adductus Hellfeldius \*\*) scribit: *In Germania diuisionem in liberos ac seruos haut ignoramus, at nostri diuersae sunt conditionis a Romanorum seruis. Sunt enim vel conductitii, vel homines proprii.* Equidem non negari potest, homines proprios domino ad praestandas operas et census obstrictos esse, quin etiam aequae ac seruos Romanos \*) simul cum fundo, cui adscripti sunt, in dominio existere, vnde domino ius, homines proprios simul cum fundo

B 2

fundo

*etenim caetera quoque animalia istius iuris peritiam censeri.* §. 1, Instit. de Iur. nat. gent. et ciuil.

\*) §. 4. Instit. de iur. person.

b) Scilicet vi potestatis herilis, cui quodammodo patria potestas similis fuisse videtur. Inde non miremur, praesentis temporibus patribusfamilias ius datum fuisse, omnia sibi per liberos iustos suos acquirendi, eos flagris caedendi, vincendi, verberandi et necandi. Siquidem hocce ius expressa lege duodecim tabularum renouatum est. Vid. Tab. IV.

t) Illustris Bergerus tempus, quo seruitus inter Christianos, maxime Europaeos, esse desit, fere in annum 1600 post Christum natum ponit. Vid. eius Oecon. Iur. For. th. 8. tit. 2. lib. I.

n) Vid. Ei. Iurisprud. Forens. sec. Pandect. Ordin. L. I. Tit. V. §. 120.

v) Quamuis, auctoribus Ictis, ac in primis Hoepfnero, apud Romanos, omnes serui ex personis res fiebant, nemo tamen negare audebit, iis diuersam

con-



fundo alienandi, nec non eos fugitiuos reuocandi, competit. Neque raro accidit, vt dominus in homines proprios ius vitæ et necis, nimirum per modum iurisdictionis competentis, exercere possit. Nec quisquam denique forte contradicet, seruos Germanicos antiquissimo tempore fere omnia non sibi, sed domino, acquisuisse.<sup>w)</sup> Caeterum iuuabit legere Tacitum,<sup>x)</sup> Pottgiesserum,<sup>y)</sup> Hertium,<sup>z)</sup> Boehmerum,<sup>a)</sup> aliosque, si quis seruitutem Germanicam accuratius cognoscere velit. Ex his omnibus quidem manifestum est, haut inique seruos Germanicos in multis causis seruis Romanis æquiparandos esse. Attamen tantum abest, vt conditio seruorum Germanicorum cum statu seruili Romano, (si scilicet diligentius rem perspexeris et vtrumque inter se comparaueris,) pro vna eademque habenda sit, vt contra homines proprios lætiori seruis Romanis sorte gaudere, sponte fateri cogaris. Cui sententiæ, addictus est Beyerus, ad testimonia Taciti et Iulii Caesaris prouocans.<sup>b)</sup> Maiores enim nostros

conditionem seruorum, aliam duriorem, aliam tolerabiliorem, fuisse. Qua lætiori sorte gaudebant in primis *Statu Liberi* (conf. l. 9. ff. de Stat. lib.) nec non *Adscriptitii* atque *Coloni*, quorum conditio luculenter apparet ex l. 2. l. 4. C. de agric. et Cens. et ex Cap. III. Nou. 162. et qui nostris glebæ adscriptis haut dissimiles fuisse videntur.

w) Ita maioribus nostris ius fuisse, coniciendum est ex Glossa ad art. 65. Weichb. Sax. et ex art. 32. libr. 3. Ius Prou. Sax. Cui sententiæ fauet Heineccius §. 44. Lib. I. Elem. Iur. Germ.

x) de M. G. c. 25.

y) de statu seruorum Lib. II. c. IX.

z) de hominibus propr. S. I. §. 6.

a) de statu et condit. seruorum.

b) Beyerus Spec. Iur. Germ. Cap. XXII. §. 1. vsq. 3.

nostros leniori ac mitiori animo in seruos fuisse, affirmat Tacitus, diligentissimus scriptor morum patrum, his verbis scribens: <sup>c)</sup> *Verberare seruum, ac vinculis et opere coercere rarum. Occidere solent, non disciplina et seueritate, sed impetu et ira, ut inimicum, nisi quod impune.* Neque minus autem hoc ius domino circa vitam seruorum competens sequenti tempore ab iis sapienter ita restrictum fuit, ut isti tum, non nisi iudice sciente, seruum suum occidere liceret, tum multifariae poenae in dominos, qui seruum vita priuassent, sancirentur. Cuius rei documentum sunt Capitularia Regum Francorum, et in primis Ludouici Pii ac Lotharii. <sup>d)</sup> Id, quod etiam comprobari videtur a Glossatore ad art. 32. libr. 2. iur. Prou. Sax. Mitius apud maiores nostros, quam apud Romanos, cum seruis actum fuisse, si quis sibi de hac re magis persuadere velit, iste in memoriam reuocet, quaeso, illam crudelissimam ac turpissimam legem Romanam, §. 44. l. 15. ff. de iniur. <sup>e)</sup> quippe quae seruos eorumque corpora, iniuriis aliorum et ictibus nuda atque inermia tanquam offert, et cum ea conferat leges Alamannorum <sup>f)</sup>

B 3

et

c) de M. G. c. 25.

d) L. VI. cap. 11. et 30.

e) His verbis autem lex continetur: *Praetor non ex omni causa iniuriarum iudicium serui nomine promittet. Nam si leuiter percussus sit, vel male dictum ei leuiter, non dabit actionem. At si infamatus sit vel factio aliquo, vel carmine scripto; puto, causae cognitionem praetoris porrigendam et ad serui qualitatem. Etenim multum interest, qualis seruus sit, bonae frugi, ordinarius, dispensator, an vero vulgaris, vel mediastinus, an qualisqualis, et quid si compeditus, vel male notus, vel notae extremae: habebit igitur praetor rationem tam iniuriae, quae admissa dicitur, quam personae serui, in quem admissa dicitur; et sic aut permittet, aut denegabit actionem.*

f) leg. Alaman. tit. 94. et in Additam. tit. 18.



et Ripuariorum, <sup>g)</sup> in quibus, iniuriarum a seruis arcendarum causa, varias poenas sancitas, inuenies. Non mentionem faciam, Germanis postea, in primis, quamprimum alma luce Christianae doctrinae ac literarum ope illustrati atque cultiores redditi erant, forsitan indignum visum esse, seruos suos, tanquam confratres et conciuies suos, laedere, iniuriisque iis illatis indulgere. Qua re permoti Principes ac legislatores iura domini in homines proprios ac seruos iustis iisque arctioribus finibus circumscripsere. Omittam denique, hodie plerisque in locis Germaniae et extra Germaniam, quibus illa seruitus adhuc viget, rem fere mutatam esse, nec dominum plus exigere posse, quam lege, consuetudine aut pacto constitutum est; quorsum praecipue pertinent census, operae, maritagium et mortuarium. Quibus praestitis reliqua sibi adquirent homines proprii, inde quoque sibi aliquid habere, ac de suo inter viuos, minime vero in plerisque regionibus, per testamentum disponere possunt. <sup>h)</sup> Quae cum ita sint, nemo est, qui non intelligat, homines proprios seruis Romanis quidem similes, hos autem illis tristiori iugo subiectos fuisse, quamuis ipse non dubitem, quot sunt diuersa loca, quibus seruitus Germanica introducta est, tot variis iuribus dominos in homines proprios gaudere, et alios eorum in mitiori, alios in duriori conditione versari.

Quemadmodum autem ex his, quae antea dicta sunt, iam apparet, primarium seruitutis introductae finem in commodiori viuendi ratione ponendum esse, quem vt obtinerent, liberi homines sibi adscuerant aliorum ministeria, vel pretio conducto-  
rum,

g) lex Ripuar. tit. 19. §. 1.

h) Conf. Hellsfeld. Iuri-pr. For. ser. Ord. Pand. L. I. Tit. V. §. 120. et Potgiesserum de stat. seruor. l. 2. Cap. 2. 3. et 4. Add. Boehmer. de stat. seruor.



rum, vel captiuorum, <sup>i)</sup> ita recte colliges, seruitutem esse conditionem, qua cuiusdam hominis actiones in utilitatem alterius directae sunt, ita, vt istae a voluntate alterius plane pendeant. Quilibet igitur videt, seruitutem pro multitudine actionum, quae voluntati alterius subiectae sunt, variare, et tum duriorum, tum mitiorem esse posse. Quod respiciens Hufelandius accurate discernit inter famulum, nostro sermone *Snecht*, et seruum *Sflave*. <sup>k)</sup> At cum conditio hominum priorum, vt supra vidimus, pro diuersitate locorum variet, et nostrum sit, inquirere, num seruitus in genere, (ac si certum ad locum quis non respexerit,) iuri Naturae repugnet, necne, recte cogimur, summum durissimae seruitutis gradum, *Sflaverey*, cum principiis iuris Naturae conferre. Hac in quaestione discutienda certe quidem cuilibet obicietur illud inter Philosophos hodie quam maxime celebratum principium, quo tanquam fundamento Ius Naturae niti, Kantius eiusque studiosissimus Schmalzius censent: *Caueto, ne ita cum hominibus agas, vt iis eorumque natura tanquam solo medio utaris*, nostris verbis: *Behandle die Menschheit in andern nie als bloßes Mittel*. <sup>l)</sup> Ipse vero non negare possum, me primo falsa opinione, omnes serui actiones ita domini arbitrio subiectas esse, fere adductum fuisse, vt iis adfentiret, qui seruitutem hominum, quippe quae ab humana natura abhorreat, iuri Naturae contrariam, et ideo e medio plane tollendam esse, clamitant. Sed rem, quam si accuratius perspexeris, aliter se habere, senties. Nam, sicuti cardo totius controuersiae in eo vertitur, num ius domini circa seruum eius-

i) Potgiesser. 1. 1. L. 2. Cap. 3. §. 1.

k) Conf. Joh. Gottl. Hufelandi *Lehrsätze des Naturrechts* §. 329. nec non *aspicias* Iust. Henning Boehmeri *Diss. de libertate imperfecta rusticorum*. in *Germania* §. 1.

l) Vid. *Kants Metaphysik der Sitten* p. 64. et *Schmalz* *reines Naturrecht* §. 31.



que actiones dirigendas humanae seruatorum naturae et exinde oriundis iuribus, quae a magna Philosophorum parte originaria atque connata, Rechte der Menschheit, ursprüngliche, dicuntur, repugnet, necne? <sup>m)</sup>) ita iam ex supra dicta seruitutis definitione patet, domino, qui in dirigendis alterius actionibus suam ipsius utilitatem tanquam summum finem sibi proposuit, non, nisi haec duo iura, competere posse, vnum, ius seruo imperandi, vt omne id agat, quo utilitas sua augetur et adiuuatur, alterum, ius prohibendi seruum, quo minus quid agat, quo haec utilitas minuitur. Equidem iura originaria a nullo homine alienari et in alterum transferri posse, Philosophi statuunt, propterea, quod ista cum tota hominis natura arctissimo vinculo ita cohaerent, vt, iis non custoditis, sed violatis, essentia et existentia humana tolleretur, <sup>n)</sup>) quamuis alia eorum humanae naturae directe, alia indirecte inseruiant, <sup>o)</sup>) eorumque relatio inter se tam mirabilis esse videatur, quam miranda est coniunctio animi et corporis, ex quibus, tanquam partibus, hominis natura constat. Quamobrem omnia iura, hominibus competentia, in mediata et immediata, facile diuidi possunt. Sicuti vero illa, Hufelandio auctore, <sup>p)</sup>) in Hypothetica Iuris Naturae parte, haec contra in Absoluta recte explicantur, ita etiam quili-

<sup>m)</sup>) Hanc quaestionem nemo confundat, obsecro, cum alia, nempe: num seruitus, domini eam exercentis ratione habita, bona, an mala sit actio. Quae disquisitio, quamuis ad cogitationes animi se referat, et itaque foro hominum externo exenta esse videatur. (conf. Schmalz l. l. §. 12. et 18.) in doctrina Morali tamen regulae quaedam traduntur, quae ab eo obseruandae sunt, qui valorem internum, si ita dicere placet, actionis humanae vero pondere metiri conatur.

<sup>n)</sup>) Conf. Schmalz l. c. §. 47. et Hufeland l. l. a §. 101. vsque 128.

<sup>o)</sup>) Vid. Hufeland l. c. §. 129. et 130.

<sup>p)</sup>) Vid. eiusd. l. l. §. 130.

quilibet necum consentiet, iura mediata ab hominibus in alios tum transferri, tum restringi posse ac debere. Id, quod in primis in societate contrahenda necessario fit, adeo, vt, si contrarium contenderis, societatem ipsam tollere cogaris. Cum denique ista iura, nimirum immediata, quae sola rectius vocibus, *connata* et *originaria*, insigniuntur, tum ad colendum tuendumque animum, tum ad corpus conseruandum inseruiant; <sup>1)</sup> nullo fere modo cogitari potest, dominum velle vtilitatem percipere ex operis seruorum suorum, quos quidem antea prohibuerit, quo minus adhuc existant. Ex quibus autem sequitur, cuiuslibet domini esse, id prospicere, vt seruus immediata iura exerceat. Quod caeterum ad mediata attinet, quorum iurium ea maxima ex parte est natura, vt ad augendam humanae naturae perfectionem respiciant, tantum quoque abest, vt seruitus in vtilitatem dominorum introducta illi iurium generi aduersetur, aut saltem quidem noceat, vt potius ista a dominis, cupiditate lucrandi ductis, securiora seruis reddantur. Non recordabor, ipsius domini vtilitatem ab eo efflagitare, vt non solum, quidquid forte impedimento sit, amoueat, sed etiam omne id suppeditet, quo humana seruorum natura cultior atque perfectior euadat. Quemadmodum enim prudentissimus paterfamilias ex sua re maximam vtilitatem non percipere potest, nisi ea recte et legitime vtatur, i. e. rem ad destinatum vsum applicet et adhibeat, <sup>2)</sup> ita etiam dominus, qui ex operis et ministeriis seruorum

1) Vid. Edmalds, l. c. §. 39. vsque 41. nec non conf. Huselant l. c. §. 107. vsque 128.

2) Inde facile intelliges iustissimam causam, ob quam Romani Icti statuerint, usufructuarium rem, inuito et inscio domino aut proprietario, ne in meliorem quidem formam transmutare posse, quin etiam re, cuius pristinam formam aut substantiam vitro et sponte mutauerit, abuti, arg. l. 13. §. pen. et l. 44. ff. de vsufr.



uorum suorum maxima commoda sibi parare studet, singulorum quemque seruorum ad eas operas, siue liberales, siue illiberales, adduci iubeat, necesse est, ad quas peragendas cuiuslibet eorum ingenium maxime inclinatur, et ope virium sibi inhaerentium, tanquam a natura ducitur. Quid? quod, dominus ipse, ut suo fine, qui in augenda utilitate positus est, magis potiat, neque laboribus, neque impensis parcat, quae necessariae sunt, ad eas vires tum corporis, tum animi, quibus singuli seruorum a natura ornati sunt, eruditione et disciplina excitandas et ita colendas. Nec est igitur, quod miremur, ab ipsis seruis Romanis, ex quorum operis quidem omne commodum ad dominos redundabat, omnis generis opificia et artes excultas esse, adeo, ut intuitu operarum, serui diuiderentur in familiam urbanam et rusticam. Vide itaque exemplum ex historia totius populi Romani haustum, quod luculenter probat, ipsius durissimae hominum seruitutis summum et extremum gradum, eorum iuribus mediatis non nocuisse. At, quisquam forte mihi obiecerit, valde periculosum esse, libertatem naturalem singulorum hominum in summa reipublicae potestate ita restringi, ut felicitas eorum, quae, ex fine Creatoris mundi, omnes ac singuli homines aequaliter potiri debent, indeque oriunda iura connata, arbitrio et iudicio paucorum, qui saepe, ut, proh dolor! experientia docet, rebus ipsorum suis suaeque utilitati rite non prospicere possunt, commissa sint, eum praeterea neminem fugiat, iure meritoque multa in rebus publicis prohiberi posse, ob imminens inde periculum. Ad quam sententiam, quae certe quidem non infirmis rationibus niti videtur, refutandam, mihi necessarium esse videtur, his, quae

\*) Multis verbis enumerat diuersas ac fere innumeras operas seruorum, quibus domini Romani vsi sunt ruri et in vrbe, saepe laudatus Porcius Lib. 2. Cap. 3. §. 1.

quae tam copiose antea dicta sunt, adhuc nonnulla paucis  
 verbis adicere. Recte mihi primo prouocare licet ad tritissi-  
 mum Philosophorum prouerbum: *Abusum non tollere usum.*  
 Quo subsumto, ille non errare mihi videtur, qui statuit, ser-  
 uitutem hominum, quippe quae non necessario, sed tantummo-  
 do per accidens, vt Philosophi dicunt, iuribus connatis nocet,  
 iniuste tolli. Cui adiungas, plerosque homines, qui quidem  
 liberi esse ab omnibus censentur, qua in re experientia con-  
 uenit, in ea inscitia versari, vt ipsi, aliorum consilio non ad-  
 hibito, non intelligant, quid sibi faciendum sit, ad suam na-  
 turam colendam. Accedit denique hoc, quod, cum omnes le-  
 ges, quibus hominum libertas circumscripta esse videtur, ita  
 instructae esse debéant, vt in primis ea ciuium facta, ad quae  
 committenda plerique homines tanquam impetu, in perniciem  
 reipublicae rapiuntur, impediunt poenisque coercent, nulla  
 caussa intelligi possit, quae hominum seruitutem in quadam re-  
 publica introductam, ex principiis Iuris Priuati Vniuersalis re-  
 probet atque tollat. Omittam denique a nonnullis \*) non in-  
 epte contendi, omnes homines, quamuis in quadam ciuitate  
 perfectissima libertate gaudere videantur, idque superbia elati  
 gloriantur, in libertate restricta et imperfecta versari; Id, quod  
 iam ex notione status socialis, quo nemo mortalium certissime  
 quidem caret, fuit. \*\*) Ex his omnibus nobis colligendum  
 esse videtur, ne vlli ciuitati quidem, siue singulorum ciuium,

C 2

siue

\*) a Hauschildio in ej. ianiam l. c. §. 1.

\*\*) Inde non mireris, idem exprimi ipsis verbis Serenissimi Legislatoris Joh.  
 Georgii I.: und weiln sie (nämlich die Unterthanen auf dem Lande, in der  
 Oberlausitz) gestaltten Sachen nach, denen usin Grund gewiedmeten gleich zu  
 achten, und dahero weder gänzlich frey, noch gänzlich dienstbar sind.  
 Vid. art. 1. der Oberlaus. Unterth. Ordn. d. 20. Jan. 1652, pag. 211. P. III.  
 Cod. Aug.



siue communem salutem omnium ciuitatum tanquam finem respexeris, ius statum seruilem tollendi competere posse, quamuis lubenter concedamus, insignem sapientiam ac prudentiam summae legislatoriae potestatis in eo cerni, vt ipsius legis scriptae verbis ille seruorum status, indeque domino competentia iura clare definiantur, ita, vt a nonnullo, quamuis crudelissimo eoque imprudentissimo domino, sanctissimis et inuiolabilibus iuribus connatis seruorum, sub quibus tanquam genere, homines proprii tanquam species comprehenduntur, neque faciendo, neque omittendo, noceri, nec quis seruorum vniquam ex eo detrimentum capere possit, quod, vt inter Philosophos mos est, de hac quaestione litigetur, num humana serui cuiusdam natura reapse laesa sit, necne? Non est itaque, quod miremur, in Lusatia superiore, in qua omnes incolae vitam ruri degentes ex lege <sup>v)</sup> pro glebae adscriptis censentur, ideoque recte seruis Germanis annumerantur, legibus sancitum esse, vt quilibet dominus teneatur subditum suum, qui forte opinione, meliorem conditionem sibi parandi, commotus domicilium mutare velit, accepta quidem certa pecunia, ex seruitute dimittere, neque isti, excluso omni iuris titulo, literas manumissionis (Läßbrief) denegare possit, <sup>w)</sup> porro, vt dominus, iure suo in subditum abutens, inuitus cogatur, isti libertatem reddere, <sup>x)</sup> denique, vt subditi literis operam dantes, oblato quodam certo pretio in compensationem alias domino debitarum operarum, ipsis dominis inuitis, ex seruitute liberentur, <sup>y)</sup> Neque nobis expressa legis dispositio silentio praetereunda

v) Vid. eand. leg.

w) Vid. leg. cit. art. 4. nec non Ober: Amts: Befehl d. 22. Decbr. 1702. p. 323. P. III. Cod. Aug.

x) Vid. art. 4. §. 3. ianiam alleg. Ob. Laus. Unterth. Ordn.

y) Vid. leg. laud. eund. art. §. 7.

tereunda esse videtur, qua tum domini, varios titulos prae se ferentes, arcentur ab impediendis nuptiis subditorum, \*) tum accurate fines obligationis dominorum, subditos suos inopes suis impensis alendi, describuntur. \*\*) Caeterum abstinere a pluribus legibus, tale quid respicientibus, enumerandis, cum illae nobis sufficere videantur, ad probandum, statum seruillem in quadam eaque sapientissimis legibus satis instructa ciuitate, non solum tolerari, sed etiam ita dirigi posse, vt quomodo iuribus seruorum connatis adhuc periculum immineat, vix intelligi possit. Quo facto igitur nobis nunc ad alteram partem libelli transire licebit.

§. II.

*Quid Saxoniae leges circa seruitutem hominum tollendam  
aut sustinendam statuerint?*

Leges Saxonicas scilicet recentiores, quas in Electoratu Saxoniae custodire licet, \*\*) expressis verbis statum seruillem hominum propriorum neque tollere neque permittere, nullus forte iuris, quod in hac Saxoniae parte vlitatum est, peritus denegabit. Quodsi igitur in explicanda quaestione, quid in Electoratu Saxoniae de eiusmodi seruitute sentiendum sit, verisimur, nostrum erit, videre, quid iuris sit, si leges silent. Quae

C 3

\*) Vid. eund. art. §. 8. nec non Ober-Amts-Ref. d. 22. Decbr. 1702. p. 323.

P. III. Cod. Aug.

a) Aspicias Art. 1. eiusd. legis.

b) Aliud enim statuendum esse ex Speculo Saxonico, paulo post copiose a me demonstrabitur.



cum ita fiat, nemo profecto erit, qui nos vituperet, quod ad analogiam iuris refugiamus. Id, quod in primis hic eo aptius mihi esse videtur, quo magis iam expediti iuris est, statum hominum priorum, de quibus hic differimus, et quorum nulli in his Saxoniae regionibus reperiuntur, a conditione, qua nostri rustici gaudent, dissimilem esse, ut infra videbimus, neque a iure veteri domestico et patrio reprobari ac tolli. Sicut enim in rem nostram non cadit, servitutem Romanam, quod maximae Ictorum parti placuit, in Germania usu exspirasse, et ita etiam omni dubio exemptum est, conditionem servilem hominum priorum a nostris maioribus tum iure Municipali, Sächsisch Weichbild, tum veteri Prouinciali Saxonico, Land Recht, comprobata, et in utroque iure voce Eigenschaft insignitam fuisse. Equisnam iuris patrii ac domestici tam ignarus sit, qui non in memoriam reuocare possit singulas leges, quae maxima cum prudentia saepe iura dominorum in homines proprios Eigenmannen, et ministeriales Dienstmannen, qui et Leg. Langob. Lib. I. Tit. VIII. *Gasindi* dicuntur, ac vulgo *non casatis* seruis adscribuntur, <sup>d)</sup> discernunt. <sup>e)</sup> Cuius rei magis illustrandae causa nunc mihi liceat aliquot exempla ex antiquiori iure Saxonico proferre, et maioribus nostris minime prohibitum fuisse, se vltro ac sponte in servitutem alterius tradere, <sup>f)</sup> nimirum consentientibus

c) Confer. Berg. Oecon. Iur. For. Lib. I. tit. 2. th. 8.

d) Vid. Heinesii Elementa Iur. Germ. Lib. I. Tit. 1. §. 28.

e) Conf. Landr. lib. 3. art. 42. in gloss. Weichbild art. 3. et Lehr. c. 4. et c. 63.

f) Hic quoque recorderis, quae so, Germanos, teste Tacito de M. G. Cap. XXIV. corpus suum alteri in servitutem addixisse, adeo, ut et qui in aleae lusu libertatem extremo iactu perdidissent, victori se dederint vltro, neque salua  
fide



tibus proximioribus heredibus, luculenter apparet ex art. 32. et 42. lib. 3. Land N. quibuscum conueniunt art. 2. et 33. Weichb. Porro dominum omnia bona hominis proprii defuncti, iure hereditatis legitima acquirere, affirmatur art. 32. lib. 3. Land N. Denique eod. loco accurate describit formam iudicii a domino instituendi contra eum, qui iniuste ac dolose seruituti se subtraxerit. Quae quamuis mihi iamiam sufficere videantur ad probandum, maioribus nostris seruitutem Germanicam talem visam fuisse, qualis neque cultui diuino ex praeceptis doctrinae Christianae tunc temporis hausto, nec moribus, nec legibus repugnaret, attamen a re nostra haut alienum esse videtur, his adhuc alia breuiter adicere. Omnes homines quondam a Saxonibus diuisos fuisse in liberos *freye Leute*, et proprios siue seruos *Leibeigene*, quibus in primis eos, qui a Venedis *Wenden* orti erant, adseribendos esse, vulgo dicebatur *f)*, testes sunt tum *Witichindius* *g)* et *Eginardus* *h)*, tum Glossator Germanicus ad art. 42 et 54. Lib. III. Land N. neque minus maioribus nostris, quam Romanis, haut

turpe fide ad libertatem potuerint pronocare, Idemque mos Germanorum ex aliò loco Taciti *Annal.* II. 72. probari potest, vbi Frisii, tributis exhausti, consumtis facultatibus, se ipsos Romanis in seruitutem addixisse, perhibentur. Mansit hoc principium et sub Francis, non modo apud Frisos, ceu patet ex eorum lege tit. 2. §. 1. verum etiam apud *Bajuarios*. Vid. *Lex Baju.* Tit. V. §. VI. Quin et postea idem iuris Germanici principium inculcat *Ius Prou. Sax.* Lib. III. Art. 32.

*f)* Conf. Glossam ad art. 73. Lib. III. Landr.

*g)* *Annal.* Lib. I. p. 634. Haec sunt verba: *Saxonica gens usque hodie triformi genere ac lege, praeter conditionem seruilem diuiditur.*

*h)* Refert apud *Adam. Brem.* Lib. I. *Hist. Eccl.* Cap. V. his verbis: *Quatuor differentis gens illa consistit, Nobilium et Liberorum, Libertorumque atque Seruorum.*



turpe et indignum fuisse, homines proprios rebus, quae in commercio sunt, adguerare, adeo, vt, actione ad damnum ab homine proprio illatum resarciendum instituta, arbitrio domini committeretur, num se, laeso seruum noxae dando, ab hac obligatione liberare vellet, <sup>1)</sup> documento est totum speculum Saxonicum, quod tanquam sacrum et limpidissimum fontem legum ac morum patriorum, nullum ICTum, saltim quidem Saxonicum, adiiisse poenitebit. Multum itaque abest, vt quis sibi persuadere possit, conditionem hominum propriorum seculo XIII. inter Saxones adhuc non vsitatam et comprobata[m] fuisse. Potius contra nobis, si nempe Glossatorem Iuris Municipalis Saxonici sequi velimus, recte opinari licet, maiores nostros, statum seruilem omni modo seruatum esse, voluisse, ita, vt legibus cauerint, ne quis homo proprius in detrimentum domini quid moliretur. <sup>2)</sup> Quibus praemissis igitur in sententiam eorum discedere cogimur, qui in iis regionibus Germaniae, quibus antiquissimum speculum Saxonicum adhuc vim legis habet, contraria puouinciali lege non obstante, conditionem hominum propriorum sustinendam, neque tollendam esse, volunt.

At nunc, quomodo prolata quaestio ex iis Saxonice legis, in quibus de rusticis nostris disponitur, diiudicanda sit, videamus. Nos quidem certe speramus, fore, vt quilibet eorum, qui conditionem rusticorum in Electoratu Saxoniae callet, nobiscum consentiat, rusticos nostros ab hominibus propriis aut glebae

<sup>1)</sup> Alfiice Glossam ad art. 17. lib. II. nec non princ. Glossae ad art. 32. eiusd. libri Landr.

<sup>2)</sup> Conf. ipsius Glossatoris verba ad art. 3. Bichby in fin.: und zuge ein eigen Man in einen Oden, wider seines Herren wissen, man musse in seinem Herren wiedergeben.



bae adscriptis aliisque hominibus seruilis conditionis in Lusatia superiore aliisque regionibus habitantibus, intuitu census et operarum haut dissimiles esse. Vtrumque subditorum genus, tum homines proprii tum rustici, praedia rustica possidentes, l) dominis suis ad certas operas et census diuersis ac definitis temporibus praestandos obstricti sunt. Qua ratione forsitan, vt credo, Leylerus ad opinionem tuendam adductus est, a Carolo M. non solum totam Saxoniam gentem in seruitutem deductam, sed etiam rusticis, pace a Carolo M. cum Nobilibus Saxonie inita, amissam libertatem non redditam fuisse, quod tempore Caroli M. rustici Nobilium iugo adhuc non subiecti fuisse, nec illi veteres Nobiles, qui pacem contraxerint, vniuersam Saxonum gentem repraesentasse viderentur. Quae, vt qualiacunque sint, ab Hauschildio m) multis verbis refutata sunt, nec ad hunc locum pertinent, cum ipse fatear, alio respectu nostros rusticos ab hominibus propriis multum differre. Quemadmodum enim generalis conditio hominum propriorum ea est, vt laborando et operando omnia, aut saltem quidem maximam eorum partem, dominis suis, Eigenthumsherren, acquirant, ita etiam rustici sua ipsorum praedia colunt, omnesque fructus inde natos in rem suam vertunt, hac lege, vt dominis suis patrimonialibus, Erbherren, in compensationem domini praediorum in se translati, certas operas, quae agris a dominis ipsis possessis n) colendis inferuiunt,

l) Attamen caueo, ne omitas, rusticos praedia, quae colunt, ciuilitate, contra vero homines proprios non, nisi naturaliter, possidere.

m) Vid. ej. Opusc. iam saepe laud. §. 18. sequ.

n) Plerumque iis praediis, quae in Saxonia equis merentur. Quamuis, hoc necessitatis non esse, ipse libenter concedam.



uiunt, gratuitas aut mercenarias praesent, nec non census, et in fructibus naturalibus, et in parata pecunia consistentes, certis temporibus soluant. In qua re haut mediocre discrimen inter homines proprios et nostros rusticos cernitur, adeo, ut exinde diuersa cetera iura et obligationes, quae nexum tum domini cum hominibus propriis, tum domini patrimonialis cum rusticis concernunt, e. g. locatio conductio necessaria operarum subditorum, facile deriuari possint.<sup>o)</sup> Cui discrimini denique hoc adiungere licet, quod obligatio hominum propriorum ad operas et census personis, rusticorum autem contra non, nisi praediis, quae iis colenda traduntur, cohaereat. Vnde sequitur, rusticos, resignato praedio, sui iuris esse, sed homines proprios nunquam liberam de personis suis disponendi facultatem, dimissis etiam praediis, nancisci.<sup>o)</sup> Cum praeterea modum, quem quis in exigendis operis rusticorum tenere debet, in Electoratu Saxoniae tum leges, tum pacta, tum denique consuetudines definiant<sup>o)</sup>, ille non errare nobis videtur, qui, Hauschildium aliosque secutus, rusticos in libertate minus plena, scilicet lege vel pacto restricta, viuere contendit. Quod si quis intellexerit, nullus forte credet, praesumptionem libertatis naturalis, quae non inepte quoque in causis rusticorum

o) His verbis igitur lege de famulitiis disponente Gesinde-Ordnung d. 16. Iul. 1735. Tit. VII. §. 8. pag. 638. P. I. Cont. Cod. Aug. quaestio in litem deducta deciditur: Daß der Dienstzwang und Lohnarbeit weder dem Lehns- noch Obergerichts, sondern jederzeit dem Erbgerichtsherrn geseßet werden sollen.

p) Conf. Selchowii Elem. Iur. Germ. Priu. §. 375.

q) Conf. Ausfchr. Churf. Augusti d. 1. Octobr. 1555. tit. Vausfuhren. Confit. Elect. Aug. 51, et 52. P. II. nec non Decis. Elect. 33.



rum applicatur, nostro consilio aduersari, quippe quod praesumptionis haec vis est, vt semper contrarium eiusque probationem admittat. Quanto similiores intuitu operarum nostri rustici hominibus propriis sunt, tanto minus nobis metuendum est, ne quis nos vituperet, quod mentem ac rationem legum Saxonicarum, in quibus de rusticis agitur, secuti, sententiam eorum foueamus, qui statum seruorum, siue hominum priorum, in Electoratu Saxoniae non tollendum, sed omni modo tuendum et conseruandum esse, putant. Nullum eorum enim, qui aliorum iura defensuri, limina iudiciorum adiere, forte fugiet, operas rusticorum in commercio aliorum positas esse, ita, vt eas vendere, redimere, iis inuestire, neque non de iis transigere ac litigare liceat. Quae omnia saepe accidunt. His denique hoc addendum est, leges Saxonicas tantum a tollendis et minuendis operis rusticorum abhorrere, vt contra caueant, ne forte a negligentissimis dominis patrimonialibus istae operae, iis non vtendo, perdantur et amittantur. Cuius rei singulare exemplum suppeditat Decisio nouissima V<sup>ta</sup> ao. 1746. promulgata. \*) Et dubito, num cui nostrum ista legis dispositi iniusta esse videatur, quod alias tum conditio

D 2

rustico-

\*) Ista lex, quae n. 350. P. I. Cont. Cod. Aug. continetur, praeter non vsum operarum per legitimum tempus, tria diuersa tempora, quibus domino copia quidem fuerit, operas debitas exigendi, attamen exactio earum plane omissa sit, tanquam praescriptionis formam expresse requirit,



rusticorum melior ac locupletior fieret cum maximo domini patrimonialis damno, qui multum operis rusticorum sibi adquirendis impenderat, tum diligenter legibus et institutis cautum sit, ne quis dominus his operis rusticorum in perniciem uti possit. His igitur praemissis, quae ita comparata sunt, ut apte ad homines proprios eorumque conditionem applicari possint, ipse palam profiteor, me iis adfentiri, qui statum hominum propriorum in Electoratu Saxoniae quidem non praesumendum, attamen vero haut minus, quam statum rusticorum non mutandum ac tollendum, sed contra tuendum esse, dicunt, ita, ut neque agendo, neque excipiendo, hominibus propriis libertatem suam a domino vindicare et recuperare liceat.









ULB Halle

004 334 728


3




A

86,







DISSERTATIO IVRIDICA

S I S T E N S

CAVSSAS, QVIBVŠ HOMINES PROPRII CONTRA  
DOMINOS, VLTRO IN ELECTORATV SAXONIAE  
PERPETVVM DOMICILIVM CONSTITVENTES,  
TVM AGENDO, TVM EXCIPIENDO, AD  
LIBERTATEM PROVOCARE  
PROHIBENTVR.

Q V A M

Q V A E E S T

SERENISSIMI PRINCIPIS GRATIA

S I N E P R A E S I D E

*PRO SVMMIS IN VTROQVE IVRE HONORIBVS*

RITE CAPESSENDIS

DIE X. OCTOBR. A. R. S. MDCCLXXXIII

H. L. Q. C.

PVBLICE DEFENSVRVS EST

A V C T O R

CHRISTIANVS ERDMANNVS ZANGEN

CAVSSARVM PATRONVS ET NOTARIVS PVBLICVS CAESAREVS

IMMATICVLATVS.

V I T E B E R G A E

LITTERIS CAROLI CHRISTIANI DÜRRII.

170.  
32

1743 15